

vocat præ multitudine virium, prout fortis est robore ut quicquam non desit. Esa. 40.

Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina imponit, Psal. 146.

Expansum indicat opus Dei, & Cæli enarrant gloriam ejus.

Unde Cæli enarrant gloriam Dei fortis, & opus manuum ejus indicat Expansum eorum, Psal. 19. Tu itaque ipse Domine solus tu fecisti Cælos & Cælos Cælorum & omnem exercitum eorum, Terram & universa quæ in ea sunt, & tu vivificas omnia hæc, & exercitus Cælorum te adorat, Nehem. 9.

Exercitus Cælorum adorat Deum.

Astra laudant Deum.

Ubi eram quando ponebas fundamenta Terræ? cum te laudarent simul Astra matutina & jubilarent omnes Filii Dei, Job. 38.

Ministri Dei sunt Spiritus & Ignis flammantes.

Benedic anima mea Jehovah, Jehova Deus mi, magnus es valde; Decorem & Majestatem induisti; Amiciens te luce tanquam panno, extendens Cælos tanquam Aulæum. Qui facit Angelos suos Spiritus; Ministros suos ignem flammantem, Psalm. 104. &c.

Immensus Dux infinitos debet habere Ministros.

Consideratis igitur infinitis Stellarum Fixarum, & pluribus, secundum Kircherum, adhuc Satellitum millibus, cum eorum Sociis, in Immenso Expanso quasi campo dispersis, fateri cogimur, quod ad tantum Globorum Exercitum, Cælestis militiæ Castra aptè distribuenda, Immensum quoque Continens seu Spatium sit necessarium, & quod tantus Dux, tanto Exercitu sit dignus, nec quemquam numeri ejus deceat esse finem; sed sicut Dux est Immensus, sic quoque numerus Ministrorum ejus flammantium sine fine; Indignum enim videtur, Immensam Majestatem, finitis adstantibus esse contentam Ministris.

Ministri flammantes non consistunt in imaginatione.

Hæc itaque Cæli Militia, non consistit in imaginatione, ut Intelligentiæ, sed veluti acies castrorum est ordinata ante oculos nostros, ut quodam ful-

guris horrore, malos, impiosque in depravatis actionibus territet; Bonis verò divinumque Numen timentibus, invisibilem illum sanctum & misericordem Dominum ZEBAOth, aperte ita monstret, ut per ea quæ creata sunt, rectè intellecta, clara in oculos refulgeat ineffabilis Omnipotentis Majestas, nosque ad corrigendas malas actiones invitet.

Per creata refulget Omnipotentia.

Nam, si noctu tempore sereno, præsertim spirantibus quodammodo ventis, post pluvias (tunc temporis enim plures cernimus stellas, earumque scintillationes clariùs frequentiusque conspiciamus, quia aëris per ventum motu, stellarum radii in volubile illud medium diaphanum, Aërem scilicet, incidunt, variisque modis in eo refringuntur, unde scintillationes divaricantur ac copiosius repræsentantur, quàm rectè intuentibus apparent) Cælum, seu Immensum illud Expansum innumerabilibus cælestis militiæ vexillis Signisque refertum, adspicimus, & unà cum eorum cohortibus consideramus, oculis simul mentis accorporis; Invisibilem illum ZEBAOth, amictum Luce, tanquam panno splendidis Adamantibus exornato quasi conspiciamus.

Deus oculo mentis simul & corporis, quasi videri potest.

Cætera, post Resurrectionem nostram feliciori atque sempiternæ vitæ reservata sunt: In hac enim mortalitate, secundum Apostolum, Ex parte saltem cognoscimus, postquam autem advenerit quod perfectum est, tunc quod est aliquatenus ut inutile tollitur; nam cernimus nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coram cernemus. Interea sit & maneat DEO PATRI & FILIO & SPIRITUI SANCTO, Triuni DEO, Creatori & Conservatori omnium rerum, Imperium Honor & Gloria in æterna secula.

Quod cognoscimus, est imperfectum, post resurrectionem erit perfectum.

F I N I S.

Absolutum MAGDEBURGI,
dic 14. Martii, Anno 1663.

IN.